

M. JONATHANEM dicit, T. DAVIDEM,  
WEISIAE O. ANTI. CAP. (secunda. m. c. i.)  
Non enim in iudis hanc dicitur  
...  
Comparat. ...  
Affinitate ...  
Dicitur ...  
Hic ...  
Et ...  
Sed ...  
Dicitur ...  
Non ...  
Jun ...  
Sic ...



# HIEROGLYPHICUM

NUPTIIS  
EXCELLENTISSIMI

# WEISII

OB INTERCEDENTEM LUCTUM, EX PATERNO FU-  
nere adhuc madidum,  
hactenus retardatis,

Proximo tamen tempore, & quidem eo, quo Dominus  
veluerit, die,

## ZITTAVIÆ

CELEBRANDIS,  
SACRUM;

Novellis Sponsis, ad imitationem  
*proponit*

# WEISIANORUM


## CÆSAR.

ANNO M. DC. LXXIX.

---

(Heringan) Ære Hassartiano.

Non



Epè JONATHANEM me dixi, TEq; DAVIDEM,  
WEISIADE, ô animi, capsula secunda, mei!  
Non etiam in nudis hæsit dilectio verbis  
Nostra; sed alterno fœdere firma fuit,  
Ast quid quæso David dulci Jonathanis Amori  
Comparat? Et quæ de hoc mellea verba refert?

Affirmat sanctè, *Jonathanis Nectar amoris  
Dulcius uxoris melle fuisse sibi.*

Huc ades, ô SPONSA, & Tu SPONSE polite, priusq;  
Exemplo edocti dicite, qualis Amor?

Et quantus fuerit Davidi Jonathan erga?  
Indubiè nodum vos solvètis enim.

Sed quoniam humanæ, sunt Tædæ, *Academia vitæ,*  
Discentes *nostra* Vos volo adesse *Schola;*

*Nostra;* quorum animos primis puerilibus annis  
Junxit rara fides, intemerata fides.

Ergo fides nostra hæc Vestri sit amoris *imago!*

Vester in hoc aliquid discet amore, Thorus,  
Conjugium Ægyptus monstrans sub imagine tectum,

*Cornices geminas pinxit; id Ambo sumus,  
si vester talis fuerit, qualis fuit atq; est*

*Noster; in egregiam gloriam habebit Amor.*

Nam veluti sponsi, Domino curante, novelli

Mirandum NEXUM *primo in amore* vident:

Dum forsan sponsus nequaquam pectore volvit,

Quam velit? Et tamen Hanc summus lœva velit;

Sic nunquam fuimus tacitâ nec mente locuti,

Possibilisnè foret noster amicus Amor?

A Thuringiacis longè Lusatia terris

Distat; dia Manus sed tamen urfit opus.

Ambitor primò figens in Virgine vultum,

Inprimis quærit, QUALE COR insit ei?

Postea corde pio perspecto & pectore, mores

Indagat, facilis temperet annè Lepos?

Nam quid divitiæ? quid honor? vel forma venusta?

Adsit nî roseus cum Pietate color.

Sic nihil affuerat nostram conjungere mentem

Quod poterat, nisi *Cor* dexteritate probum.

Nî forsan, de quâ tibi lusus, pellis ovilla

Perstrinxit faciem, Frater amande, Tuam.

Mox visum cupidum pia CONVERSATIO cingit,

Alter ab alterutro vult nec abesse diu:

Sed quoties lateri se se agglomerare cupiti

Sponsi Sponsa potest, Hujus & ille, facit.

Mollia nempe manus, sunt vincula Virginis, albæ,

Cujus ab amplexu non cupit ire lubens.

Non sic appositis vincitur vitibus ulmus,

Quàm mea sunt collo brachia nexa Tuo;

Dum primis hilares gustare incepimus annis

Fructûs, in studiis, dante Tonante, bonis.

Et Schola conjunctos animos, & Lipsia vidit,


Semper & in nostro vixit amore Fides.

Non



Non secus ac unâ prognati matre gemelli :  
    Ut jures, fratres non magis esse pares,  
*Et si plus anima est, ubi amat, quàm ubi mens animatur ;*  
    Quid mirum est, animæ TE decus esse meæ ?  
Vel si plus anima est, ubi amat, quàm ubi mens animatur ;  
    Quid mirum est, animæ me decus esse Tuæ ?  
Nosq; animâ ex unâ duo corpora ducere visos ;  
    Unus ut in quorum pectore flagrat amor.  
*Dorndorffensis* ager, quem non speraverat antè,  
    Sed lætè excepit; Testis amoris erit,  
Et germana Soror, benè tunc enixa puellum,  
    Cœnâ & Lætitiâ, luce sequente, notans :  
Atq; *Altenburgum* mirans iter inde paratum  
    Ad *Philyras* à me, testis amoris erit,  
Scilicet haut poterat percharus Cæsare abesse  
    WEISIUS, & nec ab hoc CÆSAR amatus item,  
Ecquid verò putes, talis conjunctio profit,  
    Sint nisi concordi corda ligata fide ?  
Hæc etiam nostram rexit CONCORDIA mentem :  
    Nobis Velle unum, Nolleq; tale fuit.  
Nexa comas Lauro *Concordia* candida dixit :  
    Vestra hæc, si persistent pectora, Laurus erit,  
Atq; *Parens* etiam scitè præceperat istud,  
    ELIAS, cujus suaviter ossa cubent !  
Hoc dicto erecti, velut uno in amore columbæ  
    Viximus, & socius pectora fovit amor.  
Nullum dissidium, clamorq; jurgia nulla,  
    Nullum litigium, nulla querela fuit :  
Vel, si quod fuerat, factum illud more columbi est,  
    Qui sociam intento murmure comis agit.  
O si conjugio in vestro *Concordia* regnet !  
    Quàm fuerit felix, quàm quoq; suave jugum !  
Si namq; hanc brutam monitricis imaginis umbram  
    exprimat ingenio, nupta puella, suo ;  
Conjugio tali res nulla beatior extat,  
    Divitias Cræsi quæ superare potest.  
Contrà, ubi pacifragâ miscentur jurgia linguâ,  
    Scinditur insanâ seditione domus.  
Gratia nulla DEI, Sponsis, Benedictio nulla  
    expectanda venit, tetrica si adsit Eris.  
Siracides inter mavult habitare Leones,  
    Quam mœstâ uxoris jurgia, mente pati.  
*Ergo sit una Domus, Thalamus, Mens, unaq; Mensa,*  
    Ceum nobis; Vester sic bene habebit Amor,  
Quæritis, à quonam sit dulcis COPULA facta ?  
    Fecit eam propriâ dictus in Æde Parens.  
E quâ profiluit felix COMMUNIO RERUM,  
    Quâ licuit nobis, hæc quoq; parte, frui.  
Sed jam blanda suis risum meditatur ocellis  
    Sponsa, catâ internè sic sibi mente loquens :  
Restat adhuc unum, quo destituuntur Amici,  
    Qui tamen exemplar Conjugii esse putant :  
Hoc ego non dicam convivis, mille talenta  
    Solveret in mensâ si mihi, prompta Venus.

Quæ-



Quærent ridentem Nymphæ, atq; ut dicat in aurem,  
Nemine, jurantes, comperiente, volent.  
Id primò renuet constans, agitata susurro  
Sed tamen usq; levi, senfa ita promet amans:  
Scilicet hiscé Viris est mascula forma duobus.  
Unde ergò Proles, quæ refocillet, erit!  
Dulce thori socij quæ pignus, Patris imago  
Vel Matris? Spes & Scipio quæq; domûs?  
Hæc dicet tacitè; Nymphæ tamen excipientes  
Cum risu, prodent, qualia monstra gerant.  
Dissimulans Sponsus quicquam vidisse, quod ipsum  
Tangat, vel cupiat scire: Sed ecce, brevi;  
Cum surgent juvenes ad Ludos, atq; puellæ,  
Abductam Sponsam pollice forte tenens,  
Nidicas mihi quid (regeret) Tu riseris antè,  
Tu Mea! Delitium! charus Ocellus, Ovis;  
Ecce meos, casu hoc, nequaquam spondeo Amores!  
Novi, me quod ames: Dixeris ergo mihi!  
Quid faciet posita inter spemq; metumq; pusilla?  
Dicta, volens nolens, ore rubente, feret.  
Incipiet sponsus defendens Carmine scripta,  
PIGNORA nec nobis chara deesse probans:  
Noster, <sup>an</sup> erat, foetus Collegia, Scripta, vel omne  
Quod cupido sinui mitis Apollo dabat,  
Non ita foemineâ matrem protractus ab alvo  
Egit in ærumnas, foetus, ut iste Duos,  
Non ita chara potest Proles hilarare Parentem,  
De nostrâ ut plausus, corde patente, fuit.  
Et rectè dices, Frater, nam plura supersunt,  
Quæ dant effigiem nostro in amore parem.  
Competit Uxoris DEFENSIO sumpta marito,  
Ut velit intactam, quæ sibi costa data est.  
Quid Nos? Alterutri pro cæso ponere vitam  
Fas erat, & quovis pellere dira modo,  
Nôsti cæuleos oculos, crinesq; revulsos,  
Et quod præterea mira juvena tulit,  
Verbo: *Ceu noster patiens, sincerus & æquus,  
Constans & fidus, pacificusq; fuit,  
Nec sætu caruit; Sic faxit Fautor & Autor*  
Conjugii, Vester sit quoq; talis Amor!  
Unum, Sponse, Tibi fuerit sub hinc notandum,  
Ne quæras, schedulis æra reclusa meis:  
Mos erat Athenis, quo nil dare sponsa jugato  
Debebat, redimi ne videatur amor:  
Sic quoq; noster amor non unquam venditus auro,  
Vel pretio est emptus, qui pretiosus erat.  
Ergo meis veluti chartacea muneræ Tædis,  
Ex animi aureolâ fertilitate, dabas;  
Accipe sic, Tibi quæ chartacea dona remitto,  
Istaq; permagni Muneris instar habe!  
Sic benè vivatis, charissima Corcula, sani,  
Omnigenâ & dites Prosperitate, diu!  
Vivite contenti, fœcundâ prole beati,  
Et futuri vitæ scandite tecta poli!

F I N I S.